

C O P I A
S I N E
O R I G I N A L I .
SEU
L I T E R Æ I N S P A T I I S
I M A G I N A R I I S , G A L L I C O I D I O-
M A T E C O N S R I C T Æ , P R Æ L O Q ;
N U P E R M A N D A T Æ . C O N -
F U T A N T U R .

XVII

X tribus literis , quas ad calcem
Epistolæ posuisti, L. C. P. lego, te esse
levem calumniatorem Principum.
Ex stylo Polonum te esse nego, Theu-
tonem intelligo. Ex conclusione Epi-
stolari video (quod ipse expressis verbis fateris) na-
turalem imaginatrix facultatis tuæ conceptum per
impressas diffusum paginas. Et exinde prudens re-
sponsu[m] non mereris, jubente sacro dogmate : *ut*
respondeatur stulto, secundum stultitiam ejus. Igitur bre-
vibus nebulas tuas discutio , & multum audentes
imposturas sole veritatis , ut nives recentes . dis-
solvo.

Quicunque discursus falso nituntur supposito ,
vocantur castella aeri superedificata ; ridentur &
temnuntur. Tale est ratiocinii cui frivolum funda-
mentum ; dum supponis Regem nostrum invictum
& conclusisse & subsignasse Articulos Pacis Turcicæ .
Nemo est in Polonia tam ignarus rerum ad Zoran-
no gestarum , ut tu te esse testaris, eoque ipso te
externum impostorem fateris. Scimus omnes , ma-
gnum Bellatorem Regem nostrum, spiritu principali-
desuper confirmatum, se ad bellum pro gloria. Cru-
cis contra Barbaros fortiter gerendum, totis viribus
applicuisse ; Generaliumque Comitiorum felicis Co-
ronationis suæ cō direxisse consilia ; ut promissâ
ab

ab ordinibus Regni fretus potentia , ultra Tyrannum
animosus progrederetur; proque Istro, veteri Sarma-
tarum limite, cum Ottomanni decertaret. Verum
dum ex tua officina emissarius rumor , pacem fa-
ctam cum Ottomanno in manibus haberet, potentiam
ad oppugnandos vicinos sub praetextu belli Turcici
parari, vulgaverat, facile ingenuitati Polonæ illusi-
sti, ne arma virisque daret Principi Optimo, non mi-
nor zelo quam Godefridus quondam aut Ludovi-
cus, sacra bella promovent. Ita inertis penè, du-
cta ad hostium multitudinem proportione, Rex
Magnanimus effusæ Barbarie obviam progressus,
stutis quindecim millibus suorum, ducentorum penè
millium efferatam barbariem , sexaginta majoribus
tormentis comitatam ; ne plus & ultrà cædes &
funera sparsura progrederetur. Multis primò ean-
dem circa expugnationem arcis Voyniloviensis af-
fixit cladibus , tandem vallorum receptus muni-
mentis, quotidianis præliis suam fortitudinem ipsi-
vestimandam hostibus, viginti per dies comprobavit.
Nec aliud expectans, quam ut illi alvei , qui olim
momentis intumescere solebant, hostium inundarent
castra , memorando in posteritatem vincenda
exemplo. At cum nec dum fortè expiatis delictorum
nostrorum reatibus , Autumnus velut naturæ suæ
oblitus, ultra morem siccior omnes depressostrat un-
das , sperataque à loci opportunitate Marti nostro
negaverat subsidia ; quid ultrà faciendum erat nisi
depositam à Principe nostro Pacis mentionem , per
hostem denuò suscitatam & oblatam, ita acceptare ,
ut gloriose scenam illam, non bellum, finire liceret;

Principi nostrō relictus campus ; hostes præpeti se
abripiuere regressu, defossis tot militum , asportatis
pluribus insigniorum hominum cadaveribus , quod
acceptam celarent cladem ; relictis in castris non
paucis tormentis ; postpositis, quas facere solebant,
excursionibus ; redditis quindecim millibus illis ca-
ptivis, quos per vicos & pagos eundo vinculaverant.
Articuli Paetorum ad speciem conscripti , quorum
alii indecisi, alii Reipublicæ approbandi relicti. Verbo
dicam, non pecunia Gallica, ut hallucinaris, sed forti-
tudo Principis nostri , objectu Regiæ personæ suæ
ad instar Jovis Statoris, stitit calamitatem nostram
respirium à bello Reipublicæ paravit ; turpitudi-
nem pacis ante quinquennium factæ abolevit ; Domi-
nium in Ukraina hostium confessione retinuit ; li-
bertatem religionis in locis occupatis effecit ; sa-
crum sepulchrum Hierosolymitanum Orthodoxæ fi-
dei postliminiū reddidit ; sibi & Reipublicæ contra
dubios amicos certum paravit subsidium ; Se ipsum ,
belli Duces, florem militiæ ex subiectu fatorum reduxiç-
rem integrum liberæ genti reportavit ; bellumne
an pacem vellet ? ipsa de suis consuleret fatis , se
utrâque Patrem Patriæ fore , sive paci nomen dar-
dum, sive sangvis & vita bello in victimam ferenda.
Indixit Generalia Regni Comitia Optimus Princeps,
unde Legatum Magnum mittere Respublicæ, qui super
conditionibus pacis illas Portæ Ottomanicæ por-
tabit declarationes ; quas sui arbitra voluerit liber-
tas. Ergo falsum suppositum tamen, in quo tanta com-
menta extruis ! Hoc explosorium, non stomachum
moyebit architectura tua. Maximè verò cùm pa-
lam

Item sit universis , quid cum tibicine Anglicano fa-
ctum, quem Gallicus & Britannicus Oratores, media-
tionem Turcis offerentes, ad castra miserant. Is ab
immanissimo hoste, gentium jura temnente, Barbaris
crudeli laniena in minutus dissectus partes, tuæ falsi-
tatis convincens erit argumentum, quod nobis Galli-
canum pacem non dederit ministerium. Secundum
est ad quod respondeo. Principem nostrum absolutum
affectare Imperium, ex eo asseris, quod ad hæc usque
tempora supremi Ducis officio se abdicare recusat. Vi-
de tam grandis imposturæ fundamentum. Domini Epis-
copi Regni , & cum illis viri magni, illi perspectam
habentes Regiam pietatem , & Ecclesiasticorum bo-
norum patrocinium , ante aliquot annos initam cum
Eo ratione summarum hybernalium conventionem
respiciebant , justèque subyerebantur, ne novus suc-
cessor tam sanctum & pius opus subruere niteretur.
Hi positò bene calculâ, solum Regem bellum Tur-
cicum optimè nosse , solum Regem militem obse-
quentem habere, solum Regem apud hostes in sum-
mâ existimatione esse , scientes, utriusq; tam hi
quam illi rogabant Regem in Comitiis felicis Coro-
nationis sux, ne supremam dimitteret Clayam. Pe-
tierunt, nec tamen impetrârunt , quia Optimus Prin-
ceps noluit & firmissimis & justissimis rationibus li-
mitare arbitrium Reipublicæ : nec cunctabundus
quondam Collegam , posteà suum dixit in Imperio
militari successorem. Jamque integer decurrit an-
nus post dimissam Clavam. Tu tamen tedicis Polo-
num, & hæcignoras, & super notoriâ imposturâ æ-
dificas. Quod autem post dimissam Clavam Rex no-

ster Regiam personam castris intulerit , fecit primō
ex amore in rem Christianam & Rēpublicam ; fecit
ex mente Reipublicā, quæ in Comitiis Coronationis
fortes suas in manibus Optimi Principis reposuit ; fe-
cit denique ex supplicatione ipsorum belli Ducum
rām Regni, quām Magni Ducatus Lithyaniae , qui
unanimi consensu examine illius militiæ credebant
corpus, nisi Regio animaretur spiritu ; cuius ex per-
sona mille clypeos sibi pendere unusquisque credebat,
omnes prudentia ejus salutem ; ex fortitudine victo-
riam promittebant. Ergo tu non absolutum Impe-
rium times, sed absolutam unionem gentis nostræ ;
quæ tibi ex conscientiæ remorsu meruenda. Ideo
impostura tua gladium divisionis Poloniæ inferre
conatur, facit id quod à tot annis solet , ut gens tam
fortis impunè vexari à te & injuriari possit.

Equidē sine tua exaggeratione Optimus Princeps
novit & ingemiscit, quanta nobis inimicant discrimi-
na, ab incubo Patriæ nostræ Barbaro. Sed quia Chri-
stianitati universæ bella gerere placuit, nullos habi-
tura triumphos, & certare in commune nefas ; Ante-
murali suo Poloniæ terga obvertere ; dumque amici
& proximi nostri de longè steterant , imò vim nobis
faciebant, ingenuitate crudelitate Gentis abutentes,
res nostras turbantes , regnum animorum legitimo
Principi auferre cupientes , mirum est quod Regum
nostrorum Maximus, nec dū Fatis concedat consi-
lium ; cui humana impar est prudentia.

Nec illud ridiculum omittere possum parado-
xum, quod appellas : *Capitale interesse conservationis lib-
ertatis nostra, in eo consistere : ut vidamus vicinos
nostros*

nostros Sveticis ruinis potentiores fieri, indeque irreconciliabiles Galliæ hostes. Vide quæso, mi vesperilio, quām insulſè argumentaris! Profer unum exemplum, quid nobis ūnquam à Gallia mali? Primas Archiepiscoporum & Episcoporum sedes, quondam apud nos occupaverunt Galli, quod Cathedræ Gnesensis & aliarum ecclesiarum testantur stemmatitia lilia. Rudimenta fidei ab iisdem habemus. Eorum Sorbonæ alumnus diuis Stanislaus, pietatis exemplar; magnus Zamoſcius, Tribunalium Regni author. A Gallia Henricum Regem, sat modestè vix meritam Regni sui multam tolerantem. A Gallia Ludovicam Reginam, dehoc Regno meritissimam. Inde pacem Olivensem. Ergo discrimine nostro amicæ semper Galliæ quæremus hostes? Ergo libertas nostra tutior, si vicinitas evadet potentior? Quanta pars Regni nostri deceſſisset, cum majori Polonia, Vielunensis usque terra, si tantum in nos potuillit Vicinitas, quantum se voluisse declaravit, Mariæburgensibus & Libavienibus pactis.

Tandem finio, ne cum Phantasmate tuo furiosi adinstar Herculis pugnare videar. Nihil habeo contra Principem meum, niſi hoc, quod publicas Regni sui magis quām sperabas sentiat injurias; quod ad nutus Theuronicos tam amasse quām odiſſe nec ſciat nec velit; quod supercilium vestrū non adoret; quod Bellator bellatori amicus, magnanimus magnanimum fine cauſa non aversatur Regem.

Quod autem à Svecis illatas nobis alleges injurias, non multū proficiſ, imò tuis officiſ. Mortalia Princeps noster & gens tota gerimus odia: quæ ſi exci-

excitanda essent, illa prius resurgerent, quæ sunt ex
laesa patientia acerrima.

Jam verò quod longiorem Chymæricorum con-
ceptuum necis catenam, quâ Austria, Hungariam,
Sveciam, Siciliam, Galliam, velut in triumpho du-
cturus incomptè compeditas, non est cur phanta-
sticam excutiam prædam. Fateris utique meras esse
imaginaciones, quæ naturaliter spiritum tuum occu-
pant, an exagitant. Quam malè sanæ mentis tuæ va-
litatem sine invidia possessorus, cura in posterum, ne
te Polonum fingas, in quo nihil Polonum fingere licet.

De cætero ut mereris, sic valeto, & scito,
quod JOANNES Tertius Regum nostrorum Maxi-
mus, tuo cum crepicordio ac displicantia, apud
gentem nostram REX Optimus, & Parmæ ac Placen-
tiaz Princeps habetur, primum titulum ab avita ste-
matis sui parmâ, secundum à nostra possidens gra-
titudine.

TYPI
Monasterii OLIVENSIS, Sac. Ord. Cisterc.
ANNO 1677.
